

Ego Octavianus diaconus card. subscripti.

Ego Guido in Romana Ecclesia altaris minister indignus, subscripti.

Ego Gregorius diacon. cardin. Sancti Angeli, subscripti.

Ego Astaldus disc. card. S. Eustachii, juxta templum Agapitæ, subscripti.

Ego Joannes diaconus card. S. Mariæ Novæ, subscripti.

Datum Laterani per manum Baronis, ecclesiæ subdiaconi, xi Kal. Junii, indict. vii, Incarnat. Dominicæ 1144, pontificatus vero domini Lucii papæ anno i.

#### L.

*Ad episcopos Galliarum. — Velat ædificari ecclesias vel capellas in parochiis ad Cluniacense monasterium perlinentibus.*

(Anno 1144. Maii 22.)

[Dom BOUQUET, *Recueil*, XV, 413.]

Lucius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis episcopis per Gallias constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Juxta canonicam sanctionem omnino providendum est episcopis, ut aliae Ecclesiae antiquiores propter novas suam justitiam aut decimam non perdant, sed semper antiquiores Ecclesias persolvantur. Ideoque, quoniam religiosorum fratrum Cluniacensium necessitatibus nos convenit providere, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus in parochiis ad Cluniacense monasterium perlinentibus absque consensu Cluniacensis abbatis, nullus ecclesiam vel capellam ædificari præsumat, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate.

Datum. . . . xi Kalend. Junii.

#### LI.

*Privilegium pro monasterio S. Bertini Sithiensi.*

(Anno 1144, Maii 26.)

[Collection des Cartulaires, III, 319.]

Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Lxoni, abbati Sancti Bertini, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum.

Ab hoc nos, disponente Domino, in apostolicæ sedis servitium promotos agnoscimus, ut ejus filiis auxilium imploribus efficaciter subvenire, et ei obedientes tueri ac protegere, prout Dominusederit, debeamus. Unde oportet nos venerabilibus locis manum protectionis extendere, et servorum Dei quieti attentius providere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et Bati Bertini monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis

A vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: In episcopatu Atrebensi, altare de Anesin, altare de Werkin, altare de Barli; in Tornacensi episcopatu, altare de Runbeke, liberum a personatu, salvis redditibus episcopalibus; in Morinensi episcopatu, altare de Vuiserna cum eadem villa, decimam in ecclesia sancti Martini, decimam apud Longuenesse, decimam apud Sanctum Michaelem, decimam apud Tilleke. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum licet præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva diocesanæ episcopi canonica justitia, et apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularis persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, etc. *Usque in finem, ut supra in aliis privilegiis.*

Ego Lucius, catholicæ Ecclesiæ episcopus, subscripti.

Data Laterani, per manum Baronis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, septimo Kal. Junii, inductione septima, Incarnationis Dominicæ anno 1144, pontificatus vero domini Lucii secundi papæ anno primo.

*In circuitu circuli scribitur: OSTENDE NOBIS, DOMINE MISERICORDIAM TUAM.*

#### LII.

*Ad Alvisum episcopum Atrebensem.*

(Anno 1144, Maii 29.)

[BALUZ., *Miscell. ed. Luc.*, II, 167.]

Lucius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ALVISO Atrebensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Lator præsentium, sicut accepimus, juvenis est et boni testimonii et in litterarum scientia eruditus, et Atrebensi Ecclesiæ honeste deservire potest. Ideoque, quoniam cum venerabili fratre nostro Imaro Tusculano episcopo aliquandiu bene conservatus est, per præsentia scripta dilectioni tuæ rogando mandamus quatenus pro beati Petri et nostra reverentia in eadem Ecclesia præbendam ei tribuas.

Datum Laterani, iv Kalend. Junii.

#### LIII.

*Privilegium pro Farensi monasterio.*

(Anno 1144, Maii 30.)

[PETIT, *Theodori Pænit.*, II, p. 676.]

Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus RISSENDI abbatissæ Farensis monasterii ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris, in perpetuum.

Quoties illud a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere et patientium desideris congruum